4.

TENTAMEN MEDICUM, INAUGURALE,

DE

RUBEOLA.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

GULIELMUS WHITELAW,

HIBERNUS,

Art. Bac. Trin. Coll. Dub.

Et

Soc. Chem. Edin. Soc.

Res durae ——— me talia cogunt

Moliri ———

VIRGIL.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVI.

Dr Jeffray – with best
wishes from his [illegible]
and Humb.^e Servt W. Whitelaw

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

RUBEOLA.

RUBEOLAM veteribus cognitam fuiſſe, ex ſcriptis eorum haud extat. Rhazes apud Arabicos medicus, qui verſus finem ſaeculi poſt Chriſtum ſexti floruit, hiſtoriam ejus primo depinxit. In Egypto, regione calida, contagium ortum fuiſſe, ſatis veriſimile eſt. Dehinc in Aſiam et Europam, tum a negotiatorum conſuetudine, tum vero praeſertim bellis ſacris, decedente undecimo et ineunte ſaeculo duodecimo, ſerpſit. Deinde omnes regiones, quibus nunc vagatur, gradatim infeſtavit. In Britannia primo Sydenham, poſt eum vero Morton, Mead, aliique, de ea accurate diſſeruere; et poſtremo Profeſſor noſter eruditus, cujus definitioni nitidae aeque ac perſpicuae lubentiſſime aſſentior:

 "Synocha

"Synocha contagioſa, cum ſternutatione, epiphora, tuſſi ſicca rauca. Tertio die, vel paulo ſerius, erumpunt papulae exiguae, confertae, vix imminentes, et poſt tres dies in ſquamulas furfuraceas minimas abeuntes *."

Morbus hicce, qui ex contagione, his ſaltem diebus, originem ſemper ducit, haud ſecus ac caetera exanthemata, neminem bis in decurſu vitae afficit. Tenellos praeſertim adoleſcentes adoritur. Nulli vero aetati omnino parcit, modo contagioni quis ſit obvius. Menſe Januario plerumque epidemicus ingreditur, et ad vernum aequinoctium uſque augeſcit. Poſthac, eodem curſu deflectens, menſe Julio omnino fere evaneſcit. Hac vero tempeſtate quanquam maxima ex parte graſſatur, attamen omni tempore anni, adhibita contagione, certe appareat.

Hic, pariter ac omnes morbi febriles, tremoribus vagis incipit; frigore et calore alternatim per diem primum; ſecundo plerumque febris intenditur, et haec ſymptomata ſeſe in conſpectum produnt; anxietas, calor, ſitis, nauſea, appetitus proſtratus, lingua albida ſed humida, dyſpnoea aliquando, tuſſis ſicca et rauca, gravedo capitis et oculorum, ſomnolentia fere perpetua; humor acris ex naribus et ore ſtillat, et ſternutatione, veluti ſi catarrho laboraret, aeger afficitur. Facies turgeſcit; eruptione jam inſtante, palpebrae tumeſcunt; ex oculis inflammatis lachrymae elabuntur, morbi inſtantis nuncii

* Vide Cull. Synopſ. Noſol.

nuncii haud dubii; pulſus micat frequentior, et faciei pruritus ſupervenit; paroxyſmi epileptici infantulos interdum adoriuntur; vomitus nonnunquam adeſt; ſed ſaepius diarrhoea, qua faeces ſubvirides dejiciuntur; iſta vero infantes inter dentiendum praecipue aggreditur, quo tempore morbus ſemper acerbior. In rubeola, quam in aliis exanthematis, haemorrhagiae crebriores fiunt; ſanguinis e naribus interdum, ſed apud foeminas ex utero frequentius, profluvium evenit. Haematemeſis, ſi fides ſcriptoribus, ſaepius quam in variola occurrit; ſi quando mulieres hyſtericas morbus adoriatur, inſtante menſtruorum fluxu, deliquium animi, anxietas praecordiorum, ſpiritus difficilis, et globus hyſtericus aegram vexant; et, his praeſentibus ſymptomatis, nunquam eminet eruptio. Symptomata jam recenſita, ſi vel plura, vel etiam pauca, ſimul concurrant, morbum deſignant. Sed in diverſis ſunt diverſa; aliquando uſque ab initio morbi urgent, aliquando vero per unum alterumve diem vix ſeſe manifeſtant; ſemper autem, eruptione inſtante, exacerbantur; haec plerumque quarto morbi die apparet; interdum, ſed raro, ad quintum, nec deſunt exempla, quibus ad diem decimum quartum uſque fuit prolata. Papulae quam plurimae, pulicum veſtigia referentes, faciem primo obſident, quae inde ſupra cervicem, thoracem, abdomen, caeterumque corpus, ſeſe diffundunt. Hae papulae primo diſcretae, ſenſim coaleſcentes, ſpeciem racemorum, quorum aſperitas tactu ſolummodo detegi queat, fingunt. Hoc vero ad faciem

tantum

tantum ſpectat; nam in reliquis partibus cutis rubore ſolum perfunditur. Tertio die color faciei vividus, qui per biduum perſtiterat, vel etiam creverat, in ſubrubrum mutatur. Sextam circiter diem eruptio in faciem areſcit, et deſquamatione cuticulae nunc facta, frontem aſperam et ſquamoſam eſt cernere, maculis in reliquo corpore amplis adhuc atque rubris manentibus. Sub die octava papulae in facie evaneſcunt, et nono per totum corpus perficitur mutatio; quod ſpeciem, quaſi furfure ſit coopertum, tum praebet. Hoc tempore prurigo univerſa quoque obtinet.

Ex analogia rubeolam inter et variolam inferre liceat, ſymptomata febrilia, quae antea tanta vi ſaeviebant, eruptione jam patefacta, vel omnino evaneſcere, vel ſaltem remittere. Raro tamen fit, quin contra, febris perſtat, ſeu etiam intenditur, non, niſi deſquamatione prius ſuperveniente, ceſſura. Tunc quoque, tum duratione tum effectu diverſa, ſaepe permanet. Ex omnibus ſymptomatis vomitio ſola remittitur, febre, ſpiritu difficili, tuſſi, oculorum affectione, ſomnolentia, et appetitu proſtrato, adhuc perſtantibus. Semper, manente febre, adeſt quoque tuſſis, et, creſcente dyſpnoea, aegro affectio pneumonica imminet; haec in ullo morbi ſtadio, potiſſimum vero deſquamatione facta, contingat. Eodem tempore diarrhoea aliquando ſupervenit, quae diutius morata aegrum vexat, adeo ut vita in diſcrimine ponatur; interdum ſed raro colica adeſt. Rubeolam, quanquam levem, ſaepe excipiunt phthiſis, ophthalmia, angina pectoris, aliique morbi inflammatorii.

Hanc

Hanc ſpeciem morbus plerumque fingit. Si bene acceptus fuerit, fauſtus fere fit exitus, aegro ſenſim ad priſtinam ſanitatem redeunte; regimine vero calidiore adhibito, ſymptomata ingraveſcunt; petechiae intervalla papularum obſident; papulae ipſae prius liveſcunt, deinde nigreſcunt, et aeger, ſi morbus futurus ſit funeſtus, ſub die nono fato plerumque ſuccumbit.

His vero, quae vim ejus adaugent, omnino praetermiſſis, morbus interdum adeo malignus ſe praeſtat, ut aeger ſemper in ſummo periculo verſatur. Haec morbi ſpecies, a claro Watſon in notationibus medicis ſub nomine rubeolae putridae depicta, et indole et tractatu adeo ab illa diſcrepat, ut hiſtoriam ſibi propriam jure vindicaret.

Ægrum ſumma debilitas repente invadit. Oculi inflammati humorem tenuem effundunt. Tuſſi, anxietate, ſomnoque turbato, agitatur. Secundo die febris quam maxime intenditur, dolore capitis vehemente et ſomnolentia ſupervenientibus, eruptio cito apparet. Nunc tuſſis et oculorum affectus ingraveſcunt. Pulſus fit parvus, debilis, et frequens; ſpiritus difficilis et laborioſa, abſque expectoratione; fauces rubeſcunt; lingua ſordet; ſitis maxime urget; et cutis areſcit; ſigna febrilia, eruptio, et calor, aliis, alio tempore, pleriſque vero intra diem quartum, abeunt, his ceſſantibus, caetera intenduntur; oculi, e quibus humor aqueus antea ſtillabat, exulceratione interdum dolent, quae etiam poſt morbum ſuperſtes aliquando adeſt; ſymptomata pectoralia, quae antea ſaeviebant, perſtant adhuc, interdum vel ingraveſcunt;

veſcunt; inquietudo et anxietas augeſcunt; expectoratio vel nulla vel exigua; ſitis decreſcit; pulſus fit celer, demiſſus, et irregularis; et debilitas, quae jam plurima aderat, nunc mire creſcit, diarrhoea, qualis hoc tempore ſaepe accidit, ſuperveniente. Quando in hac morbi ſpecie mors acceſſura ſit, haud facile dicamus; ſed raro ante diem quartum evenit; patet ex diſſectionibus eorum qui morbo interiere, in aliqua parte vel interna vel externa, praeſertim in quibuſdam abdominis ſive thoracis viſceribus, gangraenam vel ſphacelum obtinuiſſe.

DIAGNOSIS.

EXANTHEMATA, cujuſcunque fuerint generis, primo impetu eandem utplurimum prae ſe ferunt ſpeciem; inter ea rite dignoſcere ad rem medicam maxime confert; cuique ſua ſigna, et per haec diagnoſin facile faciamus.

A variola dignoſcatur ſternutatione, oculorum defluctione, tuſſi ſicca rauca, quae, eruptionem in illa ſemper, in hac nunquam, praegrediuntur. Tempore eruptionis, quod in rubeola ſemper tardius; indole, nam in rubeola papulae nunquam oculis patent, nec in ſuppurationem abeunt, ſed in ſquamulas, nulla cicatrice evidente relicta, decidunt. Adde, quod in variola, febris,

quae

quae ſemper, eruptione facta, ceſſat, rubeolam per totum ejus decurſum comitatur, et varios edit effectus.

E febre miliare rubeola, eo, quo fit eruptio, tempore, decernenda; vario enim in illa, in hac haud incerto plerumque die papulae patent; eruptio miliaris faciem nunquam occupat, nec ſociae adſunt tuſſis et ſternutatio, quae ſemper rubeolam comitantur. In miliare puſtulae magis eminent, et fluidum aquoſum continent; odor foetidus e corpore exhalat, quod ſenſu moleſto, quaſi acicularum cutem pungentium, tunc afficitur; brevi tempore morbus finitur, et hanc ſublatam altera excipit eruptio.

Ex ſcarlatina dignoſcitur, indole quoque eruptionis, quae in rubeola puſtulis leviter eminentibus ſeſe exhibet; in ſcarlatina vero, ne minima quidem eminet eruptio, cute in hac maculis amplis rubris obtecta, coaleſcentibus adeo, ut totum corpus ſpeciem induat rubram; nec tuſſis nec ſigna catarrhalia, ut in rubeola, adſunt. Cynanche maligna, quae toties ſcarlatinam comitatur, alterum quoque diſcrimen praebeat.

A catarrho dignoſcenda raucedine et ſiccitate tuſſis; in catarrho enim laborantibus humida utplurimum adeſt; affectione oculorum et ſternutatione, quae in rubeola vi majore valent; natura praepollentis epidemici, ſi eodem tempore compertum habeamus, utrum antea morbum paſſus fuerat aeger, diagnoſin ſemper maxime juvabit.

CAUSÆ

CAUSÆ REMOTÆ

IN praediſponentes et occaſionales dividuntur.

Praediſpoſitio huic morbo ex eo manifeſte oriri videtur, quod aeger morbum nunquam paſſus fuerit ; ab omnibus enim conceditur, neminem per vitam bis ei obnoxium eſſe, quibuſdam placet, in corpore ſeminium morbi latere, et iſtud ad morbum excitandum contagioni conjunctum oportere. Unde autem accidit, eundem nunc contagioni impune objici, nunc vero contra affici ? Plane igitur conſtat, ſtatum quendam corporis contagioni majorem opportunitatem dare ; quis ſit ſtatus iſte adhuc latet ; quoniam vero experientia docet, omnia quae corpus debilitant, frigus nempe, timorem, anxietatem, fatigationem, venerem immodicam, ebrietatem, &c. corpori adhibita, huic morbo proclivitatem facere, nobis inferre liceat, ſtatum iſtum ex debilitate oriri. Quomodo haec in corpus ſuos edunt effectus, facile intelligitur, circuitum ſanguinis impediunt, vim muſcularem minuunt, corpus pallidum inerſque reddunt.

CAUSÆ OCCASIONALES.

CONVENIT inter omnes, contagium ſpeciale ad hunc morbum excitandum ſolummodo valere. Modus quo in corpus humanum agit, adhuc latet. Diverſae a diverſis prolatae ſunt theoriae, ſuos habet quaeque fautores, et quaeque ad ſigna explicanda impar invenitur.

Con-

Contagium, fluida corporis magis ſalina atque acria reddere, quidam putavere, et ſic epiphoram et coryzam exponere conati ſunt. Alii vero in fermentationem, fluida in ſuam naturam plus minuſve convertentem, vitium contulere, et ex eo in ſuperficiem ejecto, eruptionis oriri phaenomenon credidere. Ad has refellendas hypotheſes, illud tantum ſufficiat, ſanguinem nempe ex vena hoc morbo laborantis detractum, a ſanguine ullo alio morbo detracto inflammatorio, ne minime quidem diſcrepare.

CAUSA PROXIMA.

CUM cauſae remotae tam atra caligine implicantur, nil mirum, plurimas de cauſa proxima proferri hypotheſes, quarum fortaſſe nulla ſigna explicare valet. Quidam contagionem pro cauſa proxima habent. Hoc mihi vero haud veriſimile videtur; non enim facile intelligendum, quomodo fieri poteſt, ut uno tempore eadem res et pro cauſa proque effectu ſit. Alii, diatheſi phlogiſticae in corpore exiſtenti, cauſam adſcribunt; hanc vero diatheſin in aliis morbis, rheumatiſmo ſcilicet, cynanche tracheali, &c. abſque ſignis rubeolae propriis adeſſe, plane conſtat. Multi ex fermentatione eam deduxere; et, ex analogia rubeolam inter et variolam, ſententiam ſtabilitam exiſtimarunt; quia enim

in utraque inventum fuit, contagionem quandam corpori applicatam, certo temporis ſpatio, eruptionem in ſuperficiem excitare, nec inviti cogebant, hanc in corpus receptam, in humores more fermentationis agere, et eorum magnam partem ad ſuimetipſius indolem coaptare, quae, adjuvante vi naturae medicatrice, in ſuperficiem poſtea ejecta, omnium morbi ſymptomatum rationem reddidit, Sed multa huic objicienda. Contagionem minime in humores receptam, experimentis patet; nam ſanguis ex vena hoc morbo laborantis detractus, et cuti plurimorum qui morbo nunquam antea colluctati ſunt applicatus, nullum edidit * effectum. Praeterea, quiete ad fermentationem excitandum opus eſt; eam vero in vivo corpore nunquam obtinere, omnino fatendum.

His diverſis theoriis breviter recenſitis, erroribuſque eorum retectis, quid mihi de hac re excogitanti, probabilius viſum eſt, in medium nunc ferendum. Si ad tuſſim, raucedinem, aliaque ſigna catarrhalia, quae morbum incipientem ſemper comitantur, ſpectes, pulmones laryngemque primario laborare, inferre fas erit. Sequelis morbi, iiſque, quibus in curatione utimur, remediis, perpenſis, indoles ejus inflammatoria vix dubitanda; ſed, quoniam partes membranaceae prae aliis inflammationi ſunt obviae, pulmonum laryngiſque membrana in rubeola afficitur. Ex partium conſenſu vero conſtat, membrana qualibet uno in loco imflammata,

* Vide Cullen et Young's M. S.

mata, per totum ejus extenſum inflammationem ſerpere; ea vero tegumenta quae pulmones et tracheam obducunt, e cute externa reflectuntur, totam exinde cutem diatheſis invadit phlogiſtica, quae, vi magna ſaeviens, in iis quae rubeolam conſtituunt papulis, ſeſe exhibet. Hinc inferre liceat, cauſam eſſe proximam rubeolae, quandam vaſorum, quae cutem obſident, actionem ex conſenſu ortam cutem inter et membranam, quae pulmones tracheamque obducit.

PROGNOSIS.

IN hoc haud ſecus ac in aliis morbis, prognoſis, ex ſignis urgentibus et praepollentis natura epidemici, pendet; ſi contagio non admodum epidemica graſſetur, ſi neque ſigna catarrhalia nec febrilia magnopere urgeant, eventum felicem adventurum, ſperare fortaſſe fas erit. Libera atque blanda expectoratio muci, abſque gravi tuſſi deprompti, alvus modice ſoluta, urina copioſa, lenis diaphoreſis, et regimen antiphlogiſticum ab initio morbi adhibitum, fauſtum utplurimum praeſagiunt eventum. Haemorrhagiae profuſae ſemper mali ſunt ominis. Epiſtaxis vero interdum febri levamen adfert; cutis aſperitas circa quintum morbi diem ſuperveniens, nunc incepta deſquamatione, ſpei quoque favet. Contra, vires plurimum proſtratae, inquietudo

perpetua,

perpetua, extremorum frigus, ſudores profuſi, diarrhoea, delirium, dyſpnoea valde urgens, deglutitio difficilis, nimia ſanguinis profluvia, anxietas, dolores capitis et oculorum vehementes eruptionem mox inſecuti, morbum lethalem fore praenunciant. Si ſubito recedat eruptio, ſi papulae liveſcant vel etiam palleſcant, mors metuenda. Semper, teſtante claro Home *, quo ſerius in conſpectum eruptio ſe prodit, eo plus adeſt periculi.

METHODUS MEDENDI.

Triplex eſt in hoc mòrbo medendi conſilium:

1mo, Diatheſi phlogiſticae occurrere.

2do, Signis catarrhalibus obſtare.

3tio, Sęquelis morbi infauſtis obviam ire.

Ut amoveatur diatheſis praecipue cavendum; diatheſis enim imprimis periculoſa urget. Eo ſpectant omnia quae vim arterialem minuunt, et cauſis externe ſtimulantibus obſtant; venaeſectio, ſcil. chathartica, et regimen antiphlogiſticum.

In omnibus fere morbis phlogiſticis, venaeſectioni plurimum eſt ſidendum; vena enim ſecta, ſanguifera maxime deplentur vaſa. Nec pro copia, ulla adeo valet evacuatio. Sana haec praxis neutiquam in hoc morbo increpatur:

* Vide Home's Principia.

increpatur: Sed de eo, quo adhibeatur, tempore, certamen aliquod adortum eſt. Sydenham, et illum alii ſecuti, praxin in initio morbi omnino noluere; quippe quae eruptionem impediat. Sed, ita rem ſeſe non habere docet experientia; quinetiam conſtat, adhibita venaeſectione, eruptionem non tantum non impediri, ſed etiam accelerari: Ante eruptionem, ſi fieri poſſet, ſuadet Mead, papulis vero jam evolutis, rem ſalutiferam nullatenus praetermittere. Neutri omnino deditus, ſignis ingraveſcentibus, conſulit vir eruditus et ingenioſus profeſſor noſter Cullen, in omni fere morbi ſtadio, tutam venaeſectionem haud denegat; prudentius vero prolatam cenſet, donec, facta deſquamatione, aeger maxime periclitaretur; tum enim, dyſpnoea catarrhoque prementibus, imminent pneumonia aliique affectus inflammatorii: Tunc temporis plurima in hac evacuatione fiducia, totieſque repeti decet, quoties ſigna ingraveſcentia poſcant.

Si, ineunte morbo, venaeſectio neceſſaria judicetur, non niſi ſumma prudentia ea iterum uti fas eſt, ni depletus nimis et confectus aeger, qua poſtea ſit opus, evacuationem ſuſtinere non valeat; quo plus proſit venaeſectio, ſanguis ex orificio lato detrahetur; repentino enim flumine exſiliens, vaſa citius deplentur, et major inſequitur relaxatio.

Salutaris haec plerumque praxis; aliquando tamen eſt rejicienda. Hic vero ſymptomatis et diatheſi phlogiſticae conſulet medicus, aetate, robore, et habitu, aegri haud

haud omiſſis. Si ſymptomata ingraveſcant, diatheſis urgeat, et aeger vigenti aetate corporeque valido fruatur, haud parca adhibeatur venaeſectio; et toties etiam repetatur quoties neceſſe ſit. Sin vero tenellum, debilemque, et morbis jam praegreſſis confectum, rubeola adoriatur, ſi quoque ad putredinem ſpectent ſymptomata, a tali evacuatione omnino abſtinendum. Si papulae liveſcant, et peripneumonia, delirium, aut ſtupor ſimul ſuperveniat, vel cum pulſu pleno et duro; rejicietur eruptio, ad venaeſectionem ſtatim eſt decurrendum. Diarrhoea, teſte Sydenhamo, morbum ſaepe excipiens, et caeteris remediis indomita, venaeſectioni evicta ceſſit.

Ad diatheſin amovendam phlogiſticam, proximum venaeſectioni locum ſibi vindicant cathartica; nec niſi laxantibus mitioribus opus eſt, refrigerantibus praecipue, nempe, ſalibus mediis, decoct. tamarind. chryſt. tartar. &c. quae per totum morbi decurſum adhibeantur; faeces enim, quae diutius moratae vim febrilem excitant, nec irritata alvo, ejicere valent. Longe ſunt arcenda purgantia draſtica; nam propter acrimoniam inteſtina irritant, febrem accendunt, et ad diarrhoeam, quae morbum decedentem ſaepe excipit, conferunt. Clyſmata emollientia quotidie injicienda, quippe quae alvum ſolutam tenent, diluentibus quoque ſupplent; ideoque infantulis potum recuſantibus praeſertim proſunt. Monet celeb. Monro, ſe purgantibus per totum morbi decurſum cum ſummo fructu uſum fuiſſe.

In

In morbis pleriſque febrilibus, regimen multum prodeſſe antiphlogiſticum, longa docet experientia. Regiminis iſtius pars magna eſt aër frigidus. Hicce recte an perperam in rubeola applicetur, inter medicos parum conſtat. Ad variolam fugandam plurimum frigus immiſſum juvat, et hinc haud minus in rubeola proficere rati ſunt. Non tamen talem, qualem ex conſimili morborum indole ſperandum, res habuit eventum; nec mirum, ſi animo perpendes, quod frigus, cujus in febre ac eruptione ſublevandis maxima utilitas, ſignis ab illo auctis catarrhalibus, peſſime eventurum ſit. Largius immiſſo frigore, papulas jamjam clareſcentes refugere, probatum. Neque adhibito calore bene accidit; creſcunt febris, anxietas, et ſpiritus difficilis; proſtrato ſimul robore, deficiunt aegri vires, et vita quam maxime periclitatur. Haec pauca in animo volventes, colligere fas eſt, huic morbo mediam potius convenire temperiem, et ita rem ſeſe habere, monet hodierna medicorum conſuetudo. Quantum abſque periculo fieri poſſit, aeger e lecto abſtineat; nec cibo animali uti decet, quippe qui diatheſin augeat inflammatoriam; hujus vicem dieta vegetabilis et refrigerans ſupplere debet; blanda ſint pro potu liquida, praeſertim mucilaginoſa, atque ea tepida propinari oportet. Fotu frigido careat, acidiſque quibuſlibet niſi maxime dilutis; haec enim aſſumpta tuſſim adaugent, et, facto vaſculorum ſpaſmo, pectoris inſequeretur angina; nec cardiacis uti fas eſt, niſi ſignis ad putredinem pronis obviam ire, aut feſſas aegri vires fovere, neceſſe ſit.

2do, Signis catarrhalibus obſtare.

Huic accommodantur emetica, opiata, veſicantia, balneumque tepidum.

Febre qualibet incipiente, multum prodeſſe emetica, jam compertum habemus. In nulla, quam rubeolode, magis juvant. Vi ſua aniſpaſmodica cutem laxant, humores ad ſuperficiem propellunt, ſymptomata catarrhalia quoque ſublevant, et, ſpaſmo vaſorum exhalantium ſoluto, liberiorem reddunt expectorationem; quinetiam humores, qui tracheam, laryngem, et bronchiam antea petebant, dimovent; poſt venaeſectionem propinata maxime proſunt. Praecipua infantulis utilitas; plurima enim quam deglutiunt ſaliva, gravato ventriculo, multum eos infeſtat. Tartar. emetic. nec ad ſaporem ingratus, longe inter ea eminet. Dum febris perſtat eruptiva, hoc adhibendum eſt remedium; et cavendum, ut alvum potius petat, dum eodem tempore lenem excitet diaphoreſin. Longe praeſtat plenae vomitioni iſtud conſilium; diuturnioris enim eſt effectus, nec feſſus adeo aeger conficitur. Peracta jam vomitione, ſaepe accidit, papulas erupuiſſe, tuſſis ſimul levata fuit, et tertio poſt eruptionem die, cuncta evanuere ſymptomata. Si eruptioni intempeſtivius retroceſſae ſupervenerint languor, dyſpnoea, et pulſus parvus, ad emetica decurrendum. Verumtamen, modo nil obſtet, ſanguinem prius mittere ſemper decet, ni, propter diatheſin phlogiſticam, vomitionem inflammatio topica excipiat.

Diarrhoea

Diarrhoea ſuperveniens, emeticis adhibitis, utplurimum ceſſat.

Quando ſine periculo opiata adhibere eſt, praeſentiſſima rei medicae auxilia praeſtant; inflammationem augere ſatis conſtat; in initio hujuſce morbi minime itaque adhibenda. In ſtadio vero provectiore, cum, evacuationibus praegreſſis et regimine antiphlogiſtico, ſymptomata ſublevantur febrilia, ſi aeger inſomnia, tuſſi, et inquietudine agitatur, utilitas eorum haud detractanda; ſomnum etenim, ad aegri vires reficiendas tam neceſſarium, inducendo, et irritationem, quae tracheam pulmoneſque angit, et cujus cauſa tuſſis excitatur, compeſcendo, plurimum pollent. Nec a tali praxi adeo averſus abhorreat qui ſecum reputet, in peripneumonia et pleuritide morbis inflammatoriis, ſanguine parum feliciter detracto, medicos haud parvi nominis Huxham, et De Haen, opiatis cum ſummo fructu uſos fuiſſe. Quin et princeps ille medicorum Sydenham ipſe eſt auctor, tuſſim, quae in rubeola adeo infeſta adeſt, propinatis per totum morbum opiatis, leniri. Nec huic rei oppugnant, quae profeſſori noſtro Cullen viſa ſunt; ait enim vir ingenioſiſſimus, pacata tuſſe, malorum minutum eſſe periculum, quae alioquin ex pulmonibus ſaeve quaſſatis immineant. Ad ſudorem excitandum (ſi quando ſit neceſſarium) opiata antimonio conjuncta, multi laudibus efferunt. Scillae, ſeu tart. emet. ne muci ſpiſſitudo nimia ſit, obſtant.

Praeter remedia jam dicta, commodi aliquid afferunt veſicantia; quocunque enim admoveantur, ſtrictam cu-

tem

tem ſolvunt. Nec partem, cui applicentur, tantummodo juvant; tota etenim ex conſenſu laxatur cutis, unde humoribus tranſitus liberior patet; tuſſim praeterea et dyſpnoeam levant. Si expectantis vota medici papulae ſegnius erumpentes fruſtrentur, vel ſi intempeſtivius recedant, laeta pariter fortuna veſicatoriis utimur. Ea inter ſcapulas et ad latera admovendi auctor eſt Cullen. Excepta ab angina rubeola, nuchae veſicatorium adhibere par eſt. Ad peripneumoniam debellandam proſunt quoque. In ſtadio vero morbi provecto, ſcil. circiter diem nonam, quando aegrum febris et tuſſis plerumque moleſtiores vexant, maxima eſt utilitas. His malis ingruentibus, ſanguine, pro viribus aegri, detracto, et veſicatoriis, obiam ire oportet; et ſic tum phlegmaſiam, tum diarrhoeam imminentem, deprecare liceat.

Balneum tepidum in hoc morbo plurimum prodeſſe, ſatis conſtat; cutem laxat, tenſionem corporis aufert, eruptionem tardius prodeuntem accelerat, ſeu repreſſam elicit. Cavendum vero, aquae temperiem, gradus xcviii thermometri Fahrenheitiani, i. e. calorem ſani corporis, haudquaquam exſuperare, ne febris ſtimulo accenſa ingruat. Quinetiam balneum tepidum, cujus in paroxyſmis epilepticis, quae interdum variolam comitantur, levandis, ſumma utilitas, eundem quoque effectum in rubeola praeſtare, conjicere fas eſt.

3tio,

3tio, Sequelis morbi infauſtis obviam ire;

a. Inſitione ſi fieri poſſit.

b. Regimine, morbo jam exacto, idoneo.

a. Semper juſtis laudibus variolarum efferenda inſitio; eandem quoque in rubeola uſurpari poſſe optandum eſt, felicem pariter exitum forſitan habituram. Quouſque fieri poſſit, dictu difficillimum eſt. Nec litem dirimunt quaecunque, uſque in hanc diem, viri ingenioſi de ea re tentavere. Inter primos eminet profeſſor noſter illuſtris * Home. Hominum ſane commodis laudandus conſuluit; verumenimvero, dum ſuorum ſaluti ſtudioſus inſerviret, num medicum humaniſſimum vana ſpecies illuſerit? Eadem enim, nec eodem eventu, medici perſpicaciſſimi Cullen et Young experti ſunt. Alium, quo contagionem inſerere liceat, modum propoſuit celeberrimus Monro. Jubet enim, facto, in quavis corporis aegroturi parte, vulnuſculo, goſſypium, materie e papulis maturis diſcerpta, imbutum, immitti; ratus inde morbum diſſeminari poſſe, abſorpta ſcilicet a lymphaticis materia contagioſa. Fundamento vero lubrico adhuc innititur ſententia, quippe quae ex nullis comprobata ſit tentaminibus. Alii de hac re alias, vanas quidem, ut credo, ſententias in medium protulere. De his autem differere mihi non propoſitum.

b. Poſt morbum exactum cathartica olim adhibebant medici, rati ſcilicet, materiem morbilloſam corpori penitus inſidentem, tali regimine ejiciendum; ſed iſta, hodierna

* Vide Home's Clinical Experiments.

erna die, adeo exolevit conſuetudo, ut de ea aliquid agitare ſupervacaneum foret.

Ne omnino ejuſdem, qua aeger uſus fuiſſet, prudentiae, jam convaleſcens obliviſcatur. Fructibus eum mitibus et lacte veſci oportet; aſſidue promovenda diaphoreſis, tum veſtitu calido, tum etiam exercitio, ſi tempus ſit ſerenum. Frigus, quippe quod ſigna catarrhalia accendat, effugiendum. Libri arceantur, caeteraque quibus intenti nimis oculi exercentur; hinc enim ophthalmiae periculum. Febri leviori tuſſique adhuc perſtantibus, per venaeſectionem parcam quidem, ſaepius vero repetitam, per emetica, atque alia, quae ſupra recenſuimus, remedia, obviam ire oportet.

Ea medendi ratione breviter recenſita, quam ſaluberrimam, modo inuſitati nihil prae ſe ferat morbus, hodierni medici jactavere; ſupereſt me de iſta, quam putridam rubeolam vocant, pauca diſſerere. Nec ſpecie tantum, ſed tractatu, ab altera diſcrepat; venaeſectio enim, cujus in rubeola vulgari maxima eſt utilitas, in putrida ſemper effugienda; quippe quae debilitatem plurimum augeat.

Emeticum, primo morbi ingreſſu, adhibere prodeſt, non quod actio ejus cognita ſit, cujus vero utilitas ſatis ab experientia comprobata: ſed effectibus debilitatis obviam ire, praecipue conſuitu opus eſt, quod tonicis et ſtimulantibus adhibitis cavendum; tum ex iis, quae jam adſunt aegro, anhelitu, et tuſſi, tum ex ea, quae periculoſa imminet, pneumonia, de ancipite plerumque corticis Peruviani uſu ambigitur; praeſtantiſſimum vero

ro remedium haud cunctanter aſſero; et in tinctura, decoctione, aut pulvere uſurpandum. Sin vero aegri ſtomachus eum haud moleſte ferat, pulvis prae caeteris habendus. Monet clar. Watſon, dyſpnoea et tuſſi urgentibus, minime adhibendum eſſe; quippe qui haec moleſtiora reddat; in loco vero ejus, radicem ſerpent. Virgigian. tutius uſurpandam; corticem vero imminuta copia tute exhiberi poſſe, mihi videtur; nec ullum niſi ratione virium ineſſe diſcrimen.

Stimulus vinum jucundiſſimus, et palato plerumque gratum, caeteris anteponendum. Illud vel dilutum vel merax propinandum. Quoniam vero quorundam ventriculis vinum gravius, ad ſpiritus ardentes, cum aqua commiſtos, fugiendum.

Aurantiorum ſuccus, refrigerans ſcilicet, et linguae fauciumque ſiccitati inimicus, plerumque juvat. Sit cibus levis et concoctu facilis.

In primo morbi ſtadio, dum corpori vires adhuc aliquae ſuperſint, ſi ſicca et fervida ſit cutis, corpus in balneum tepidum immitti prodeſt.

F I N I S.